

opinionem. Habet multitudinem humorum, nihilominus principaliter temperaturā simplicem, quæ frigida est, & quæ multiplicat humores, ergo erit euacuandus. Initium autem fiet, sicut perpetuò est faciendum, ab humoribus pituitosis, deinde à melancholicis deueniendum. Confortentur postea ventriculus & hepar, & totum corpus sit benè transpirabile. Ventriculus concoquere debet: dabitur ergo alimentum cōueniens, & quod facile concoqui possit, carnes vitulinæ, castrati, pulli, gallinæ, oua, si posset rectè conficere, nihil melius, lac meo iudicio non est tutum ob flatuositatem. Vinum bibat non omnino potens, sed clarum, lucidum, pauciferum. Corroborat enim spiritus vitales, & naturales. Utatur postea rebus, quæ faciunt ad facilem distributionem, semper ante prandium. Anisumumat præparatum, siue cum saccharo, siue non, prout magis placet. Et nunc in caloribus diarrhodon abbatis, post calores aromaticum rosatum, Diatrionpipereon. Pro tertia concoctione laudarem balneā aquæ dulcis, cum decoctione chamomæli, rosarum, ad penetrationem reliquorum, & confortationem. sic etiam aquæ calidæ simplicis. Euacuationes facerem cum pharmacis non violentis: vellem, uti modo dico pulueris hieræ, cum Epithymo, vel etiam cassia, sed modica. Syrupi quoque exhibeantur tempore commodo, syrupus scilicet de succo buglossæ, boraginis, de pomis dulcibus. Sic euacuarem materiam, quæ subinde generatur, cum prouocantibus vrinam & aluum, & per poros cutis, & per halitus. Deinde roborarem ventriculum, qui in melancholicis ferè semper abundat pituita. Et lōgè difficilius est separare pituitam ab humore melancholico, quàm è contrà. Laudo itaq; mel rosatum, syrupū acetosum, oxymel simplex. Postea adhiberem alterantia caput, & vellem cauere in capite, ne facerem magnam refrigerationem & exiccationem. Timeo enim ne post fatuitatem ex ætate, vel ob multiplicatam victus ratione exiccato cerebro fiat maniacus & furiosus. In reliquis remediis paucissimam speim habeo.

CONSILIVM XXX.

Taruissum missum & in Italica lingua scriptum, Anno 1549. In affectione melancholica.

VT conseruemus sanitatē nobilis matronæ & accidentibus occurramus, singularis diligentia & industria in medicatione requiritur. Omnes enim longiores morbi in primis sedulitatem & solertiam medici postulant. Qui autem tumultuariè hos tractant, vires absq; vilo commodo frangunt atq; lædunt. Adhibeat igitur omnem diligentiam in victus ratione, idque præcipuè in curatione statuatur, operamq; det, ut quoad fieri potest, sit animo lætò, & ab omnibus molestis perturbationibus vacuo. Mala enim illius valetudo aucta atque confirmata est tristitia: ac propterea exhilaratione animi remouenda. Quotidie matutinis horis sese exerceat, & si deambulare non fuerit libitū, domi dembulatiunculis, in quib. ad

A domestica respicere poterit, vtatur, persuasumq; habeat corporis motum admodum esse valetudini conuenientem & necessarium. In locis humidioribus nec commoretur, nec dormiat: fenestras autem noctu non aperiat, neq; nuda iaceat. Caput singulis septimanis lixiuio dulci abluat, cui incoquatur maiorana, rosæ, atque chamomælini flores. Tempus autem lotionis potius sit vespertinum quàm matutinum, præcipuè in hyeme, & frigidiori aeris constitutione. Quantum ad victū attinet, diligentē curā adhibere oportet, ut appetitū familiare mulierculis refrænet, quo expetunt acetaria, itria, caseum, legumina, fructus, euaporantia & crassū succū generatā. Hæc enim vt quæ maximè, bonæ valetudini obsunt. cōtenta sit carne vituli, pullorū, hœdorū, castrati tenera. Abstineat à suilla tā recenti, quàm sale cōdita. Itē à carne vetula boum. Aquaticas aues, vt anates & similes vitet. Ac potius comedat oua recentia, bibatq; vinum album aut subfuluum, quod neque austerum, neque dulce sit, atque vuis maturis bonique saporis expressum. In primis autem caueat sibi à musto vinoque turbido. Ut alius sit in officio, quod in hac affectione inprimis conducibile est, vtatur singulis septimanis bis lachryma terebinthi ad magnitudinem nucis muscatæ, tribus ante cibum. Hoc enim medicamentum non tantum aluum emolliet, verum etiam obstructions aperiet: stomachum, matricem & reliqua membra roborabit. Propterea sibi commēdatum illud habeat. Vbi verò necessitas hoc exiget, etiam ter in septimana accipere poterit, & huic addere ʒj. rhabarbari. Ad horum vsum, fieri nō poterit quin malū ex toto cedat: sed vt securius procedamus, poterit etiam bis in anno, Autumno scil. & Vere ad hunc modum purgari.

R. Florum cassiæ ʒij.

Specierum hieræ simpl. ʒij.

Misce cum zuccharo, fiat bolus, detur hora vna ante prandium.

R. Syr. de absynthio,

Oxymellis squillitici ana ʒj.

Aquæ boraginis ʒiij.

Misce sic pro vno & reliquis.

Vbi septem syrupos biberit, accipiat subscriptum medicamentum purgans.

R. Confectionis hamech ʒs.

Syrupi rosarum solutiui ʒiij. cum aqua boraginis.

F Item potio brevis capiat sub auroram. Interim vnguento suo ordinato pro partibus inferioribus vtatur, cuius commoda frequens vsus declarabit. Reliquas vnctiones & confectiones omittat, cum ad valetudinis tutelam parum facere videantur.

CONSILIVM XXXI.

De imbecillitate cerebri cum vertigine & catarrho perpetuò, pro illustrissima Matrona à Driehtristain Germana scriptum.

ILLVSTRISSIMAM Dominam primò esse imbecillis cerebri constat ex vertigine, quam tot annis perpetitur, ex perpetuo catarrhi defluxu: ex eo quod

Terebinthi